



Equitis
[redacted].
1672.

E — 15.

NOTAE
AD VETVSTISSIMAM
VRSI TOGATI
LVDI PILAE VITREAE
INVENTORIS

Inſcriptionem

FRANC. MARIAE TVRRIGII

Romani,

CANON. S. NICOLAI IN CARCERE

De Vrbe.

D. Alexandro Rainaldo Biblioth. Vat. Custodi Author donat die 21 Novemb. 1630.





ROMÆ, Apud Ludouicum Grignanum. MDCXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magist. Sac. Pal. Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur,
Fr. Hyacinthus Lupus Mag. & Socius Reuerendissimi Patri Mag. Sac. Pal. Apost. Fr. Nicolai Riccardij Ordinis Prædic.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

FRANCISCO CARD.

BARBERINO.

VRBANI VIII.

PONT. MAX.

NEPOTI.

Franciſcus Maria Turrigius Felicitatem.

PVLCHERRIMAM, ac vetuſtiſsimam Vrſi Togati luſus Pilæ vitreæ repertoris Inſcriptionem cum quibuſdam Notis à me pro mei ingenij imbecillitate confectis Tibi (Card. Eminentiſs.) vtpotè qui ſumma rerum antiquarum voluptate afficeris, offero. Et quidem quid ſuauius floribus, florum varietatem diligenti? quid iucundius auibus aucupium ſectanti? quid amabilius canibus venationem exercenti? quid optabilius equo equitationem peramanti? quid denique gratius re vetuſta antiquitatem amplectenti? Quod cum ita ſit, non dubito, quin læta fronte ſis elegantiſſimum, atque antiquiſsimum Romani elogij monumentum accepturus. Dum igitur alia id genus nonnulla paro, ne quæſo, pro tua, qua es humanitate, hæc legere graueris. Vale Romæ Sex. Id. Septem. 1630.

A 2 VRSI

VRSI Togati sequens Inscriptio satis elegans, satis, & vetusta reperta fuit Romae anno 1591. mense Ianuario sub Innocentio Papa IX. Cernitur nunc in Archiuo Bas. Vatic. parieti affixa ibi anno 1600. Canonicorum cura alta palm. 10. lata quinque, quae ab Antiquitatũ amantibus, mira voluptate aspicitur, mira attentione obseruatur, miro studio, ac diligentia legitur. Obseruandum est in Grutero tria esse menda. Vnum anni 1592. Alterum, vt ita dicam, inaurationis. Tertium in ipsa Inscriptione vbi legendum est, sensu, non sensi. Non enim eo anno, nondum inauraretur pauimentum effossa fuit. At plerumq. exteris venia danda est.

VRSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM MEIS LVSORIBVS
LAVDANTE POPVLO MAXIMIMIS CLAMORIBVS
THERMIS TRAIIANI THERMIS AGRIPPAE ET TITI
MVLTVM ET NERONIS SI TAMEN MIHI CREDITIS
EGO SVM OVANTES CONVENITE PILICREPI
STATVAMQVE AMICI FLORIBVS VIOLIS ROSIS
FOLIO QVE MVLTO ADQVE VNGVENTO MARCIDO
ONERATE AMANTES ET MERVM PROFVNDITE
NIGRVM FALERNVM AVT SETINVM AVT CAECVBVM
VIVO AC VOLENTI DE APOTHECA DOMINICA
VRSVMQVE CANITE VOCE CONCORDI SENEM
HILAREM IOCOSVM PILICREPVM SCHOLASTICVM
QVI VICIT OMNES ANTECESSORES SVOS
SENSV DECORE ADQVE ARTE SVPTILISSIMA
NVNC VERA VERSV VERBA DICAMVS SENES
SVM VICTVS IPSE FATEOR A TER CONSVLE
VERO PATRONO NEC SEMEL SED SAEPIVS
CVIVS LIBENTER DICOR EXODIARIVS.



NOTAE AD INSCRIPTIONEM VRSI TOGATI.

VRSVS] nomen viri, non (vt aliquis insulse dixit) feræ, cuius nominis fuit etiam collega Polemij Consulis anno 338. & multi viri sanctitate præstantes eodem sunt nomine insigniti, vt videre est in Martyrologio. Quod quidem nomen deductum fuit ab aliquo Vrsi, feræ euentu. Sic Valerius dictus fuit Coruus, seù Coruinus: quia (testib. Liuio, & Varrone) ei cum Gallo quodam pugnanti Coruus omen victoriæ fuit. Sic Cornelius Scipio Asina: quia cum Sponsores ab eo poscerentur, Asinam produxit in forum cum pecuniæ onere, quasi pro sponsoribus præsens pignus, id quod Macrobius refert. Sic Fabius Buteo: quia, (vt scribit Plin.lib.10.cap. 8.) insidens in naui Buteo auis bono auspicio Duci ei fuit. Hæc auis vulgò dicitur Porana. Sic Taurus fuit quidam Philosophus Platonicus, qui de differentia sectarum Platonis, & Aristotelis scripsit, floruitq. sub Antonino. Sic Leo, qui fuit Platonis Auditor; Gallus qui Consul extitit cum Flacco anno ab Vrbe condita 926. Draco legislator Atheniensium: deniq. Gryllus Xenophontis filius, de quo Aristotiles meminit. Quod autem, non casu, sed data opera nomina imponerentur, testatur S. Cyprianus in Præf. ad Cornel. Papam de Cardinalib. operib. dicens. *Solent Matres infantulis nuper editis, in ipso vitæ introitu aptare vocabula. & ex aliquibus præcedentibus, vel circumstantibus causis, vel ex genere, vel ex euentibus imponere nomina, &c.*

2 *Togatus*] dictus fuit eodem modo, quo Q. Trabeas Poeta valdè à Tullio laudatus, quiq. post Terentium, & Turpiliū,&c.

obtinuit inter Comicos octauum locum: quare, ſicut à trabea Trabeas; ſic à Toga Vrſus dictus fuit Togatus, cui viuenti, (vt patet inferiùs) ſtatua erecta fuit. Sic etiam à penula dicitur penulatus. Cic. pro Mil. *Cum vxore veheretur in rheda penulatus*. A pileo pileatus, Liu. 4. Bell. pun. *Pileati, & lana alba, velatis capitibus, volones exulati ſunt*. Hic Vrſus fuit Latinus, ſeù Romanus: nam Togati erant Latini, ſiuè Romani: palliati verò Græci. Hinc comediæ, & fabulæ Togatæ, hoc eſt Latinæ. Iuuenal. Sat. 1. *Impunè ergò mihi recitauerit ille Togatas*; de quibus etiam Seneca Epiſt. 89. Togatus Vulturius dicitur apud Apuleium is, qui in agendis cauſis nimia, & importuna verboſitate vtitur: Senatores Togati incedebant Virg. *Romanos rerum dominos gentemq. Togatam*. Tabernariæ Togatæ erant Comediæ, in quibus inducebantur non nobiles, ſed perſonæ viles. Varia erant Togarum genera. Toga candida, qua induebantur petitores Magiſtratuum. De qua Plin. lib. 7. cap. 17. *In Toga candida bis repulſa notatus à Populo*. Toga pura, quæ & virilis, quam tyrunculi aſſumebant, de qua Lucan. lib. 7. *Pura venerabiles aquæ, quam currus ornante Toga*: ita dicta: quia nullo purpuræ, vel auro prætextu in ora ornata erat, vt inquit Budæus. Toga prætexta ſic vocata, quia, vt inquit Petrus Moſſellanus in cap. 23. Aul. Gellij, auro & gemmis erat intexta, vel quia purpura erat inſignita. Toga palmata ſic nuncupata: quia palmis in ſignum Victoriæ erat elaborata, qua Triumphantes induti vehebantur. Mart. lib. 7. *Merere Triumphos palmataq. ducem, &c.* Toga pinguis, de qua Tranquil. in Auguſto; erat craſſa, & aduerſus frigoris iniuriam apta. Toga picta à picturis ſic nuncupata. Capitol. in Gord. *Togam pictam primus Romanorum priuatus ſuam, & propriam habuit*, & Lamprid. in Alex. *Togam pictam nunquam niſi Conſul accepit*. Toga feriata erat, quæ in ocio & ferijs geſtabatur, de qua Plin. lib. 7. Epiſtola 3. ad Præſentem. Toga puerilis, cuius meminit Gel. lib. 18. cap. 4. *Cum iam adoleſcentuli Romæ prætextam, &*

pueri-

puerilem Togam mutassemus. Toga Pulla erat nigri coloris, qua in funeribus veteres vtebantur. Toga rasa, de qua Plin. lib. 8. cap. 48. Toga rara, quæ raro gestabatur, Martial. *Lis nunquam, Toga rara, mens quieta*. Hinc (vt Pierius Valer. lib. 40.) *Toga sumitur pro homine Ciuilia negotia agente*. Toga rustica, idest Domus vel tectum rusticum. Hinc Titinnius Gemina, *Si nos scorto constituit, claues illicò Abstrudi iubeo rusticæ ne sit Togæ copia, idest tecti*. Formam Togæ describit, Quintil. lib. 11. cap. 3. dicens, *Ipsam Togam rotundam esse, & aptæ cæsam. Pars eius prior medijs cruribus optimè terminatur: posterior eadem portione altiùs, quam cinctura, &c.* Non omittendum, quòd Romæ erant duo loca dicta ad Vrsum Pileatum, vel quia ibi erat Statua Vrsi habentis in capite pileum, vt scribit Andreas Fuluius lib. 2. Antiq. Rom., quòd multi alij affirmarunt: vel quia ibi erat Imago, aut Statua alicuius serui in libertatem asserti Vrsi nomine gestantis pileum in signum libertatis: quare Macrob. lib. 1. Satur. cap. 11. Seruos ad Pileum vocare dixit, id est ad libertatem, & Tranquil. in Tib. Seruis frustrà ad Pileum vocatis. Persius Sat. 5. *Hæc mea libertas, hanc nobis Pilea donant*. Tranquil. in Nerone cap. vltimo. *Vt plebs pileata tota Vrbe discurrerit*, & Plautus Amphit. *Ego hodie hic raso capite caluos* (id est caluus) *capiam pileum*. At Serui iure belli capti non pileati, sed coronati vendebantur. Hinc fluxit illud dicendi genus, *Sub corona videre*; ideò erant melioris conditionis quàm Pileati, qui dicebantur etiam apud Quintil. Serui vltimæ conditionis, & de his intelligit Columella (vt Rhodiginus putat lib. 25. cap. 22.) mentionem faciens de seruo de lapide empto, id est de scelesto, ac digno, qui de lapide, seù de saxo, & rupe Tarpeia præcipitaretur: Sic Cicero dixit. *Tribunos de lapide emptos*. In Actis SS. Martyrum fit interdum mentio de Vrso Pileato. Prior locus sic dictus erat, vbi nunc est Ecclesia vetustissima S. Bibianæ ab Vrbano VIII. nuper magnificè, ac splendidè instaurata. De hoc loco legitur in Actis S. Bibianæ,

& apud Bibliot. qui ait *Anastasius Papa sepultus est in Cœmiterio suo ad Vrsum Pileatum*, & in antiqua Inscriptione posita in Ecclesia quadam iuxtà S.Bibianā deiecta legebatur: *Anno Domini . . . mense Octobris . . . Dedicationem huius Ecclesia* SS.*Simplicij, Faustini, & Beatricis ad Cœmiterium Vrsi* Pileati, & in lapide marmoreo affixo ad parietem Ecclesiæ S. Bibianæ legebatur: *Hæc est via, quà itur ad locum, quòd vocabatur antiquo tempore Vrsi Pileati, & moderno tempore Monasterium S. Bibianæ, &c.* Alter locus ad Vrsum Pileatum, erat extrà Portam Portuensem; de quo in Martyrologio Rom. sub die 3. Octobr. legitur: *Romæ ad Vrsum* Pileatum S.Candidi *Martyris*. Nec silendum quòd pilare non est (vt nescio quis dixit) pila ludere, sed pilis vestire: sic Affranius in Compit. scripsit, *Corpus meum nunc pilare primum cœpit*, id est pilos emittere. Nonnius, P*ati dum poterunt, antequam pugę* (non pugnæ) *pilant*. Interdum significat pilis nudare, ideò Mart. 6. *Extirpa (mihi crede) Pilos de corpore toto. Teq. pilare tuos testificare, &c.* Nonnunquam, Premere, sic Hostius Poeta vetustus, P*ercutit atque hastam pilans præpondere frangit*. Ennius, *Indè loci trepidat, pilatasq. atheris ora*. Hinc pilatim aduerbium, id est structim, vel presse. Scaurus, *Pilatim exercitum duxi*. Asel. Semp. *Siuè pilatim, siuè passim iter facere volebant*.

3 *Vitrea*] Ex vitro: non (vt aliquis existimauit) ideò dici vitream: quia tenuis, & perlucida esset eò modo, quo dixit Varro, *Media vitrea astate; & vitrea toga*. Veteres non solum Vitrea Pila, sed etiam latrunculis vitreis ludere consueuere. Hinc latro Vitreus apud Mart. lib 7. Epigram. ad Paulum. *Et Vitreo latrone clusos*: & apud Ouidium. *Hostis Vitreus legitur fac pereat Vitreo miles ob Hoste tuus*. Qui quidem ludus appellatur laterculorum, vel calculorum, quia laterculis, seù calculis colluditur, qui aliquandò fiebant ex gemmis, ideò cecinit Mart. *Inuidiosorum si ludis bella latronum Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit*. Quoniam igitur veluti latrones ij calculi

culi alios adoriuntur, hinc factum est, vt nomen latrunculorum, seù latronum sibi nomen vendicauerit huiusmodi ludi genus. Aur. Prudentius in Enchir. *vitreum rorem*, dixit .s. lucidum, & clarum cum cecinit. *Et sex fortè alij vitreo de rore rigabant*. Ausonius dixit *Nimbum*, *vitreum*. s. vas ex vitro.

4 *Qui primus pila lusi*] primus nuncupatur, vel quia Vrsus fuit præcipuus inter collusores, vel quia (quod magis credibile est) inuentor fuit pilæ vitreæ. Sic Auson. ad Paulin. Ep. 21. *Tu fontem in ipso procreatus Pegasi Primus nouorum metra iunxisti pedum*. Hūc quidem ludum arbitrātur doctiores fuisse huiusmodi, vt adeò diligenter, tantaq. dexteritate pila vitrea luderetur, vt nullo pacto huc illuc agitando frangenda esset. Nec sanè memini alicubi fieri mentionem apud veteres, & recentiores de vitrea pila, nisi hoc loco; Varia pilarum genera recenset Mercurial. lib. 2. lib. 5. cap. 4. Pila lusoria apud Plin. quæ dicitur etiam Manuaria, & recussabilis à repercutiendo dicta, & Italica apud Læl. Aurel. vulgò *Palla da mano*. Pila clauaria sic dicta à claua Italicè *Pilotta*, & olim percutiebatur claua plumbata, vt Iunius asserit, qui autumat eandem fuisse cum pila trigonali, cuius formam ait Mercurial. lib. 29. p. 5. extare in nummis Aurelij Antonini, censetq. lib. 5. cap 4. & lib. 2. cap. 5. non diuersam fuisse à pila parua, quæ, & manuaria. Pila paganica, lana seù pluma, vel pilo inferta, sic dicta fuit, quia, (vt Iunius scribit) ea vtebantur Pagani, id est pagorum incolæ. Hanc Felicius in Onomastico nominat *Palla di camoscio*, de qua Mart. lib. 14. *Hęc quæ difficilis turget paganica pluma folle minùs laxa est, & minùs arcta pila*. Pila cælestis dicebatur cùm in cælum excepta manu verberabatur, de qua Pollux. Pila refracta cùm solo allisa itendidem resultat, cuius meminit Eustathius. Pila communis cum partes hinc indè expulsam scite excipiunt, & expedite vltra metam remittitur, de qua Pollux. in Omonast. Pila impostoria dicitur, cùm vni ostensa, alteri mittitur, vt Eust. placet. Cùm pila percutitur missa à datore

 dici-

dicitur, *ludere datatim:* cum verò de tecto excipitur, & expellitur, *ludere expulsim:* cùm denique vltro, citroque repercutitur, *raptim ludere:* De pila lignea meminit Auicenna, de qua Mercurial. lib. 2. cap. 5. & alibi. De ludo pilæ scripsit Timocrates Laconicus, vt ait Athen. lib. 1. cap. 8. & Galenus. Quod pilę fierent ex vitro, testatur Plin. lib. 36. cap. 26. dicens, *Addita aqua vitræ pilæ sole aduerso.* Hæc cum aliàs non esset lusoria, Vrsus fuit auctor, vt ea luderetur. Quod in thermis hic ludus fieret; testis est Mart. lib. 7. *Non pila, non follis, non te paganica thermis, Præparat, aut nudi stipitis ictus habes.* Idem lib. 12. *Effugere è thermis, & circa balnea non est Imputet exceptas, vt tibi sæpè pilas.* Non solum viri, sed etiam mulieres pilà ludere consueuerunt, vt in Homero legere est. Inuentio pilæ tribuitur Nausicæ, vt legitur in Athenæo lib. 1. cap. 8. Pila velox apud Horat. 1. 2. Sat. 2.

5 *Decenter*] Ideſt venustè, gratiose, non insuauiter, vt dixit Athenæus de Tesibio Chalcidense Philosopho, dicens, *ludebat pila non insuauiter, & Tesibius, &c.* Sic ludebat quidam adolescens annorum ferè 17, de quo Demoxenus hæc carmina cecinit.

Quidam Iuuenis lusit pila vix editus
Annis decem, septemque Cous patria,
Deum videtur ferre certè hęc insula,
Qui desides mox respiceret hoc incolas.
Nam seu Pilam caperet, daretuè, hinc omnium
Surgebat ingens clamor: Hic concinnitas,
Mos, ordo, quantus explicari nec potest,
Nec esse dictis, aut solet factis virùm:
Nec quis putare esse: pulchritudinis
Tantum nec audiui viri; nec gratię
Vide: fui capturus hinc ingens malum
Diù moratus: nunc videor sanus mihi
Nec esse denique, &c.

6 Lau-

6 *Laudante populo maximis clamoribus*] Dum in ludo quis benè luderet, faustis acclamationibus afflicebatur: ideò Tranquil. in Tito scribit. *Sapè cum populo, & voce, & gestu, vt fautor, &c.* Athen. lib. 1. ait, *Qui cum in sedentes intueretur, vel pilam capiens, vel tradens, omnes simul clamabamus.* Cic. pro Sex. *Magnus ex omnibus spectaculis plausus excitatus, &* Demoxenus; *Nam seù pilam caperet, daretur ue; hinc omnium surgebat ingens clamor:* hanc ob rem ludentes pro viribus dabant operam, vt concinnitas quædam seruaretur, dum pilam caperent, aut darent, vt scripsit Athenæus lib. 1. cap. 8.

7 *Thermis Traïjani*] In Thermis scholam (id est exercitationem,) fuisse diuersorum ludorum, & præsertim pilæ satis constat apud veteres, de quo legendus Mercurialis in Gymnastica. Erant istæ thermæ (dictæ etiam Domitianæ) iuxta Ecclesiam S. Martini in Montibus extructæ (vt ait Eusebius) anno Domini 93. Vetuit Traianus, ne quis in ijs lauaretur, nisi certis quibusdam diebus, vt Lampridius testatur. Ad has Thermas Templum fuit erectum Aesculapio, seù Asclepio, vbi plumbatis cæsi fuerunt sub Diocletiano. SS. Quatuor Coronati, Seuerus, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus. Nuncupatæ quoque fuerunt, vt dixi Domitianæ, de quibus in libro Pontificum, qui S. Damaso tribuitur, vbi sic legitur; *Fecit Siluester in vrbe Roma iuxta thermas Domitianas, qui vsque in hodiernum diem appellatur Titulus Equitij, &c.* Ibi repertæ duæ Statuæ Antinoi, quas Leo X. posuit in Viridario Vaticano, quæ adhuc ibi visuntur. Obseruandus hic modus scribendi vetustus, in voce (Traijani) pro Traiani: nam solebant veteres interdum duplici I. vti inter duas vocales: ideò scribebant, Aijacem, Maijam, Troijam, &c. Id, quod notauit Velius Longus de Ortograph. dicens, id obseruari, quoties I, est inter duas vocales: immò addit aliquando I, triplicari, vt Coniijcio, Adiijcio, &c. Sic inquiens, *Crescit ista geminatio, & incipit per tria I, scribi Coniÿcit, vt prima syllaba sit communis, sequentes duo, ÿcit, &c.*

8 *Ther-*

8 *Thermis Agrippæ*] Erant iuxta Patheon, & adhuc extant vestigia retro dictum locum. Has fecit M. Vipsanius Agrippa anno ab Vrbe condita 727. id est annis 26. antè Christi Natiuitatem. De his Plin. sic scribit. *M. Agrippa thermas de suo nomine excitauit. Has Lithostroto, & Encausto pinxit: Arcus, & pauimenta ex vitro posuit*; & alibi sic. *Inuentum ab Agrippa in thermis, quas Romæ fecit.* A Dione lib. 53. vocantur Vaporarium, seu Sudatorium Laconicum, siuè Lacedæmoniacum: quia Lacedæmonij hoc temporis nudari corpora, & iniungi oleo præcipuè videbantur. Appellantur etiam Gymnasium, siuè Palæstra; ponendo partem pro toto. Eas fuisse antiquissimas colligitur ex Dione lib. 55. qui ait. *Mæcenas primus Romæ Natatorium aquis calidis refertum instituit*.

9 *Titi*] Extabant, vbi nunc est Ecclesia S. Petri ad Vincula ædificatæ anno Domini 93. vt Eusebius litteris consignauit. De his Martialis, *Hic vbi miramur velocia munera thermas, Abstulerat miseris tecta superbus ager*: Et Tranquil. in Tito. *Amphitheatro dedicato, thermisque iuxta celeriter extruens*. Hic inuenta fuerunt duo fragmenta marmorea, in quorum altero erat flamma sculpta cum hoc titulo *IOVI*. In altero *VESPASIANVS AVG. PER COLLEGIVM PONTIFICVM FECIT*. Hinc non longè anno 1506. Felix ciuis Romanus in vinea sua inuenit statuam Laocoontis, quæ hodie est in Viridario Vaticano, de qua sic Plin. *Laocoon in Titi Imperatoris domo, (opus omnibus, & picturæ, & Statuariæ artis præponendum;) ex vno lapide eum, & liberos, draconumque mirabiles nexus de consilij sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus. & Anthenodorus Rhodij, &c.* Errant illi, qui scribunt hanc statuam repertam fuisse sub Paulo III. in thermis Antoninianis. Hæ fuerunt Titianæ thermæ. Sciendum quòd singulis Thermis Genius assignabatur: ideò Prudent. lib. 2. *Cum portis, domibus, Thermis, stabulis soleatis assignari suos Genios*.

10 *Neronis*] Propè Ecclesiam S. Eustachij eius vestigia etiam nunc

nunc visuntur; & constructæ fuerunt (vt scribit Cassiodorus) anno 66. de quibus Martialis: *Quid Nerone peius? quid thermis melius Neronianis?* & alibi, *Neronianas thermas refrigerarent.* Iuxtà erant thermæ ab Alexandro Seuero ædificatæ, de quibus Capitolinus. *Thermas nominis sui iuxtà eas, quæ Neronianę fuerunt aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur.*

11 *Ouantes*] Qui nam dicerentur Ouantes, scribit Sex. Pompeius Festus hoc modo. *Ouantes (id est lætantes) dicti ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna milites Victores geminata, O, littera. De loco, applaudentes dicere possumus.* Ouare igitur significat lætari gaudiumque ostendere externis signis, de quo Prudent. in festo SS. Petri, & Pauli, *Romam per omnem cursitant Ouantq.* Calphur. qui floruit sub Diocletiano Buccol. 1. *Altera regna Numæ, qui primus Ouantia cæde Agmina Romuleis, &c.* & Corippus, qui floruit sub Iustino lib. 4. de illius laudibus sic cecinit. *Sol radians, & Consul Ouans noua Roma nitebat.*

12 *Pilicrepi*] Id est ludentes, qui faciunt, vt inter ludendum Pila concrepet, sonitumque reddat: quamquam aliter (sed non ad propositum) scribunt Rhodiginus, Mercurialis, & Iunius Medicus, qui quidem si legisset hanc inscriptionem, non dixisset se non assentire posse viro doctissimo, qui hac voce significari putat eum, qui pila lusitat; sed ait significari balnearium ministrum, qui pilos cum forficularum crepitu truncat. Quod quidem non nego; sed hoc loco Pila ludentem significat.

Statuamque amici floribus] Imagines Imperatorum coronis ex lauro ornari solitas ex Herodiano constat. Imaginem Octauiæ floribus aliqui decorabant, ex Tacito lib. 14. Aliorum Statuæ floribus ornabantur, ex Liuio lib. 33. Vino, & ture honorabantur, ex Plin. lib. 10. Epistol. Violæ cum Rosis, alijsque folijs sæpè coniungebantur. Pruden. in Cathem. *Illic purpureis tecta rosarijs omnis fragat humus, calthaque pinguia, & molles violas.* De rosa extat pulcrum carmen Ausonij incipiens. *Ver erat, & blando, &c.*

13 *Vn-*

13 *Vnguento marcido*] Vnguentum, quo vtebantur veteres ad hanc rem erat oleum aromatibus conditum odoris gratia confectum, quo corpora perfundebantur, vel ad vires reficiendas, vel ad animi voluptatem, ex Galeno, Dioscoride, & Mathiolo, de quo Iuuenal. lib.3.Sat.9. *Dum bibimus, dum serta, dum vnguenta poscimus*. Plutar. in Othon. recenset disposuisse eum in Triclinio varijs locis argenteos atque aureos canales instar aquæ, vnguenta odorata fundentes. Hæc Seneca vocat *Aspersiones odorarias*, quibus interdum vestes, Statuæ, loca aspergebantur tanquam aqua rosacea. Vocabantur aliquando Rosaria; vel quia præcipuè ex rosis fiebant, vel quia odoratissima erant. Hinc dilucidatur locus, Tranquil.in Neron. dicentis. *Indicebat, & familiaribus cœnas, quorum alteri pluris aliquanto ab Syrtio Rosaria*, id est vnguenta, & alia ex rosis parata aduecta ex Syria Romam: quæ vocantur à Plauto in Mostel. *vnguenta exotica*, hoc est ex longinquis deportata regionibus, qualia sunt ea, de quibus Spartian. in Aelio Verò, *Vnctus odoribus* Persicis. Videndus Plin. lib.13. Marcidum vocatur non putre, & malè olens; sed vetus, & pretiosum. Sunt enim nonnulla olea, quæ quo vetustiora, eo pretiosiora, vt oleum 100. anni. & alia, quæ vetustissima sunt fragantissima.

14 *Falernum*] Optimum vini genus, vulgò *Moscatello*, vt Iunius ait, quod Appium seù appianum etiam vocat; & ab alijs Amineum dictum fuit, vt Sipontinus scribit. De eo Hor.lib.2. Sat.8. *Hic herus Albanum Mecænas, siuè Falernum Te magis appositis delectat*, & lib.2. Ode 10. *Restinguat ardentis falerni potu, prætereunte limpha*. Martial. *Attica nectareum turbatis mella falernum*. Tibullus. *Nunc mihi fumosos veteris proferre falernos*. Silius lib.7. *Nulli dant prælis nomen præferre falernis*. Ager Falernus est in Campania felice, de quo Leander Albertus in Descript. Italiæ. Scribit Sipont. vinum Gauranum summis collibus nasci, medijs Faustianum, imis Falernum, esseque inter generosa vina, quæ in Italia habent secundam nobilitatem;

tem; additq. corpori fuisse saluberrimum, vtile tussi, sistere aluum corpus alere. Consueuisse veteres cum vino coniungere vnguenta patet ex lib. Sapientiæ 2. *Vino pretioso, & vngentis nos impleamus*. Horat. lib. 2. Od. 3. *Huc vina, & vnguenta*. Dioscorid. recenset in balneis, & conuiuijs oleum Iasminum. Val. Max. lib. 2. ponit inter Xenia in secundis mensis vnguenta odorata, & coronas.

15 *Nigrum*] Id est rubrum quidem, vt tamen ad nigredinem tanderet, & ferè fuscum esset. Sic apud Virg. *Quamuis ille niger* (id est fuscus) *quamuis tu candidus esses*. Sic nigræ violæ dicuntur hoc est fuscæ.

16 *Setinum*] Vinum ex Setia (vulgò *Sezza*) Oppido Campaniæ noto, de quo Martialis, *Pendula Pontinos quę spectat Setia campos, Exigua vetulos misit ab vrbe cados*. Vinum Cæcubum, & Setinum concoctioni ciborum conferre scribit Sipontinus in Epigram. 47. Mart. ad Tuccam. Plin. *Setia optimi viri ferax*.

17 *Cæcubum*] Vinum optimum fuit, de quo Horat. lib. 1. Sat. 20. *Cæcubum ex pręlo domitam Caleno tu bibes vuam*: & lib. 13. Ode 28. *Prome recōditum Lyde strenua Cęcubum*: & lib. 2. Sat. 8. *Cęcuba vina ferens*. Strabo. lib. 5. *Sinui verò Caietano contiguum est Cæcubum, cui adiecit vrbs Fundi in Appia via. Tota hęc ora, pręcipua adeò vina generat. Verum Cæcubum, & Fundanum, & Setinum sicut Falernum, & Albanum, & Staganum inter nobilia numeratur*.

18 *Apotheca*] Id est Cella vinaria. Sic Cicero in Ver. *Cum omnium domos, Apothecas, nauesquę furacissima scrutarere*. Sidon. lib. 6. Ep. 1. De *Apotheca dilectionis altissimę sectandæ nobis humilitatis propinare mensuram*. Plin. lib. 12. Epist. 17. *Lata post Apotheca; & horreum*. Vlpian. de furtis. *Si præponas in Apotheca amphoras esse vini*. De ea Columel. qui floruit sub Claudio Imperatore lib. 1. cap. 6. Aliquando est aromataria taberna. S. Marcellin. qui vixit anno 717. in vita S. Suitberti lib. 4. cap. 26. *Cella verò eius, vt Apotheca redoluit*. Interdum horreum;

reum, quod Entheca à Cassiano dicitur lib. 4. cap. 14.

19 *Dominica*] Id est Principis, & Dominicui: qua voce vtitur Columel. in Procem. lib. 9. scribens. *Subiecta Dominicis habitationibus ponebat viuaria*, M. Varro, qui viuebat ætate Cic. lib. 2. cap. 10. *Non est idoneus; qui rationes Dominicas pecuarias conficere nequit*. S. Victor Vticen. lib. 3. de persecutione Vandal. *Vt ligna profutura nauibus Dominicis incidatis*.

20 *Senem*] Licet Vrsus senex esset, tamen belle, & agiliter ludebat: ideò pro re insigni hic laudatur: nam ludere non est Senum: sed adolescentium. Hinc Sidon. lib. 1. Ep. 8. ad Candidian. *Milites negotiantur, student pilæ senes*. Petronius, *Videmus senem caluum tunica vestitum russea inter pueros capillatos ludentem pilis*. Plin. Ep. 1. lib. 3. *Mouetur pila vehementer, & diù: nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute*. Sidon. lib. 4. Ep. 4. *Cumque ab hinc retro iuuenes eramus in pila contentio*. Martial. lib. 14. *folle decet pueros ludere, folle senes*: folles enim magis decebant senes, quam pila.

21 *Scholasticum*] Id est ex Schola, seù Exercitatione in thermis ludentium, de quo Rhodig. lib. 30. cap. 20. & Sidon. lib. 5. Epist. 7. *Profertur his pila: nos cum caterua scholasticorum lusimus abundè*.

22 *Adque*] Pro Atque: etenim veteres vtebantur interdum D. pro T. Sic legimus aliquando Quodannis pro Quotannis.

23 *Suptilissima*] Pro subtilissima: nam solebant vti P. pro B. vt Apsens, Apsolutum, Optinuit, Optutus, Suptus pro Absens, Absolutum, Obtinuit, Obtutus, Subtus. Suptilissima ergò id est maximæ dexteritatis, & ingenij, ne pila vitrea rumperetur: nam cum talis pila impetu agitaretur frangi poterat facilè.

24 QVI] Obserua hic magnum I, vt in aliquibus alijs dictionibus, id quod factum putant arbitrio Scalptorum; licet interdum pro duplici I, poneretur, vt in lapidibus sæpè obseruaui: sic legimus, CLODI, DIS, MANVBIS pro Clodij, Dijs, Manubijs.

25 Ter

25 *Ter Consule Vero*] M. Antoninus Verus, de quo hic intelligendum putant Ter fuit Consul, vt Io. Leunclauius in Dionem scribit, id est anno 142. cum Antonino Pio anno 147. cum eodem. & anno 163. cum Luci. Aurelio Vero: Alij autem putant fuisse L. Aurelium Verum, qui etiam Ter Consul fuit, hoc est anno 156. cum Sextilio Laterano: anno 163. cum M. Antonino Vero, & anno 169. cum Quadrato. Obseruandum, quod post tempora Constantini Imp. cępit adhiberi, & coniungi illud, Ter, cum superlatiuis: vndè fluxit illa dicendi formula, *Ter beatissimus*, *Ter felicissimus*, *Ter maximus*, *Ter optimus*, *&c.* quare legimus in 6. Concil. Constantinop. *locum gerens Agathonis*, *Ter beatissimi vniuersalis Papa Vrbis Romę*: & in acclamationibus, seù laudibus antiquis, quæ fiebant Pontifici dici consueuit ad ipsum Pontificem à Priore Cardinalium. *Summo, & egregio ac Ter beatissimo Papę Vrbano vita*: & sic omnes Cardinales respondebant. *Deus conseruet eum*, quod dicebatur Ter. Sic quoque Carolus Magnus dictus fuit. *Ter maximus*: quia fuit insignis tribus rebus, bellica virtute, scientia, & pietate, de quo lege Baronium ad annum 778. Greg. II. scribens ad Leonem Isaurum dixit. *Ter sanctum hymnum canentes*, id est Gloria in excelsis Deo.

26 *Patrono*] Patronus dictus quasi Pater; ideò Seruius in illud Virgilij, *& fraus innixa clienti*, sic scribit; *Ex lege XII. tabul. venit, in quibus scriptum est*; *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto: si enim clientes, quasi colentes sunt*; *Patroni quasi Patres; tantumdem est clientem quasi filium fallere*. Franciscus Pelletus in Hist. fori Romani lib. 2. cap. 10. dicit, quòd Patronus significat *Auxiliatorem*, & sunt correlatiua Patronus, & Cliens, aut Libertus, sicut Pater, & Filius, ideò Ausonius cecinit, *Esto patronus, & defende reos, sed gratia rara clientis*. Origo Patronorum, & Clientum defluxit primum in Vrbem à Romulo mutuata ex vicinis populis Sabinis, & Latinis ab eo, apud quos fuit hæc clientelæ ratio: nam diuiso Populo in duos ordi-

ordines, Plebeium, & Patricium, voluit, quod Plebeij sibi eligerent in sui auxilium, quem vellent ex Patricijs. Hinc lex adscripta in veteri Iurisprudentia, in qua sic legitur, *Plebeij, quem sibi ex Patricijs patronum volent, diligunt*. Ex quibus liquet Patronorum consuetudinem fluxisse à pauperibus auxilij gratia, vt si à potentioribus opprimerentur, haberent, qui iniuriam propulsarent. Quare benè M. Manlius Capitolinus in concione, quam post vincula ad plebem habuit, (vt legere est in Liuio 6. ab V. C.) dixit. *Quot enim clientes circà singulos fuistis patronos, tot nunc aduersus vnum hostes eritis. Ego me patronum profiteor plebis*. Super quem locum Ioachimus Perionius dicit, *Clientibus ij Patroni sunt, quibus se, suaque permiserunt*. Ex tale Patrocinio deuenit, quòd Aduocati dicerentur Patroni quoties defenderent reum in foro iudiciali. Ex dictis constat, quòd Vrsus erat Cliens, seù Libertus Veri, & de his Patronis, Libertis seù clientibus leguntur infinita propè Epitaphia.

27. *Exodiarius*] Glossæ veteres in Iuuenal. Sat. 3. super illud *Tandemque redit ad pulpita exodium*, dicunt quod Exodiarius dicebatur ille, qui in fine ludorum risum spectatoribus mouebat. Exodium enim est carmen ridiculum. Hinc apud T ran quil. lib. 3. cap. 45. legimus, *Vndè nota in Attellanico Exodio proximis ludis assensu maximo excepta*: & Iuuenal. Sat. 6. *Vrbicus Exodio risum mouet attellanæ*. Liuius lib. 7. *Exodia posteà appellata, consertaque fabellis potissimum attellanis sunt: quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit iuuetus*. Scribit Laur. Valla in Ant. Raudensem. *Sunt Exodia cantilenæ ludicræ, & scurriles in scenis*. Pollux ait, *Exodium erat cantus, quem sedentes de Theatro cantabant*. Ianus Gulielmus *Exodium* (inquit) erat *cantio, quam Theatro exeuntes cantabant*. Hinc est, quod interdum accipitur pro fine; ideò dixit Varro, *In Exodio vitæ*: & alibi, *Ab origine ad Exodium ducta*: & alio loco, *Ad Exodium ducas*. Lucillus in Sat. *dignum principio exito inexo-*

inexodiumque sequatur : Ex his colligitur, cur Vrsus gloriaretur, cum victus à Vero patrono risum excitabat, plausumque non sibi, sed hero suo in fine ludi. Scribendum autem ne sit Exodium cum aspiratione, hæc insignis docet inscriptio, quæ sine aspiratione habet, quamquam Manutius, & Gruterus secus sentiant. Sed lapidi huic vetustissimo standum censeo. Hæc habui, quæ notarem in hac egregia, & præclara inscriptione rogatus à quibusdam, qui rerum antiquarum studio mire tenentur. Plura in medium, ac magis recondita afferri potuissent, quæ alijs doctoribus relinquenda duxi. Interea, Lector meum quemcumque laborem boni consulas, rogo. Non silebo tamen, quod veteres illi vtebantur interdum accentibus super litteris (id quod aliqui omninò negarunt,) vt hic patet. Qui quidem accentus vocabantur etiam *Toni*, *Tenores*, & à Græcis *Proxodia*. Hoc in lapide accentus dumtaxat graues visuntur à dextera in sinistram ducti. Adhibebantur huiusmodi tenores tribus de causis, vel ob distinctionem, vt, *Viridique in littore coniungitùr sus :* quare super illud, *Vr*, ponitur accentus, ne dicatur *Vrsus :* vel ob pronunciationem, ne proferatur breui, quod longa proferendum est syllaba, aut è conuerso: non enim pronunciandum est Togàtus breui, sed longa, ideò super A, est accentus: vel discernendi causa casum à casu: etenim Pila cum est ablatiui casus accentum habet: cum autem est nominatiuus caret accentu; quam quidem scribendi rationem modo habent omnes fere libri Germani, Galli, & alij nonnulli, in quibus in dictionibus ablatiuis semper ponitur accentus, licet aliquantum diuersus à graui.

LAVS DEO.






